Anno domini 1544 pridie Nonas Februarij à fossoribus, qui faciendis fundamentis terram effodiunt, novae basilicae S. Petri, à Iulio inchoatae, haud longe à mole quadam rotunda, ubi mausoleum fuisse Honorij Caes. nonnulli putant, nunc vero in sacrarij usum cessit, repertum est sepulchrum marmoreum, cuius operculum et ipsum marmoreum longum erat pedes 10 latum 6 altum 1 et ½. Vas ipsum eiusdem amplitudinis, foris quadratum, intus obtusos habebat angulos. Sublato operculo reperta sunt ossa duorum cadaverum: quorum alterum fuisse Mariae sponsae Honorij, filiae Fla. Stilichonis ex certis indicijs colligitur: alterum quod Thermantia eiusdem Honorij sponsa et eiusdem Stilichonis filia fuisse creditur: quarum utramque virgines defunctas historiae tradunt, et regio habitu simul cum dotibus sponsalib. conditas esse ex ijs ornamentis, quae apud ipsas inventa fuerunt, patet.

Erant autem hec cadavera pallijs aureis involuta, ipsaque capita aureis cincta diadematib. Fila vero palliorum vetustate computruerant, exteriores vero limbi ipsaque diademata ex auro ductili constabat: quare ex ijs aurum conservatum est. Ossa adhuc cohaerentia simul cum vestibus statim ad attactum sensimque aëris abierunt in pulverem. Aurum ex vestibus collectum et purgatum ponderabat libras circiter 80. In pectore alterius massa catenae specie dependebat, composita ex auro adamante smaragdo atque alijs gemmis. Apposita erant et vasa aliquot perforata forma clepsidrarum, odoris gratia continenta. Margaritae grandiusculae 53. quae squalore sic erant confectae ut digitis dissiparentur. Annuli aurei

7 mirabilis artifitij.

plures 100 quib. uariis gemmae per orbem atque cir-
cumferentiam erat inserta, iaspides, carbunculi,
adamantes et reliquae. Cochlear aliquot aurea. Ca-
lamistra aurea. Sitella quaedam argentea, Vasa
aliquot cristallina. Vas quoddam siue concha ex
Achate lapide. Item ornamentum quoddam panis
fere speciem, constans ex duab. gemmis: quarum altera
Cornelius erat, altera Topazius quas connectebat
circulus siue Zona aurea uariis gemmis distinc-
ta atque ornata. In lapidum superficie utrinque
insculpta fuere nomina hoc fere modo,

Delata sunt mox
omnia in palati-
um uicinum ad
Pont. Max. ubi
nunc asseruantur.



In altero latere
eadem legebantur
Honorij ac Stilic-
honis, atque etiam
haec nomina,
Thermantia
Serena.

Urspergensis in Chro-
nicis.

Stilico Comes erat de perfida et dolosa gente
Vandalorum natus. Idem socer erat Honorij,
cuius duae filiae Maria et Thermantia, altera
post alteram principi Honorio desponsae sunt, et
utraque virgines obierunt.

Sangallen

Henricus Bullingerus

(falscher Vermerk)